

1478 fectus est, Lyfsum ad Drinonis ripam cum duabus Venetis biremibus in suam potestatem redegit: ducenti remiges sociique navales in illis capti, quos ad Marbegum, qui cum octo millibus Turcorum ad continuandam obsidionem relictus erat, ante Scodram trucidandos misit. Tenuit inde ea obsidio octo circiter menses, duobus castellis ad Bolianæ caput cum præsidio impositis, ne qua subfidium ullum obseffis immitti posset. Interim vero cœptum est per Joannem Darium scribam cum hoste de pace agi, quæ sub exitum hyemis his conditionibus secuta est: ut præsidio & oppidanis, si abire vellent, ex urbe deductis, Scodram Venetus cum Tenaro Laconiæ promontorio, & Lemno insula Othomano relinqueret: darentque illi quotannis octo aureorum millia eo nomine, ut Pontica navigatio Venetis negotiatoribus tuto pateret. Pace his conditionibus probata, Scodra præsidio & oppidanis ad unum deductis, qui suum vetus in Venetos studium secuti, extorres fieri maluerunt quam sub barbaro Imperatore esse, pridie nonas Aprilis, ut in conditionibus pacis convererat, dedita est: ex mille & sexcentis viris, qui ad urbis præsidium remanserant, quadringenti quinquaginta vivi reperti sunt: e mulierum numero ad centum desiderata: quæ superstites fuere, viros secutæ per medias hostium catervas (mirantibus interim barbaris, immo stupentibus eorum fidem & constantiam) in pacatum silentio abidere. Scodrensisbus, qui Venetias venere, aliis perpetuum ex publico salaryum, aliis arcium aliorumque locorum præfecturæ cum publico stipendio, pro conditione & pristina fortuna, cuique decretæ: ita ut nullus fuerit, qui non publico beneficio sublevatus sit; hoc ipsum Chalcidensibus, qui patrio excidio superfuere, jam antea præstitum accepimus. Pax aliquanto prius publicata fuerat: quæ vix tantum læticiae attulit Venetis diurno bello fessis, quantum reliquis Italiæ populis & Principibus sollicitudinis & metus, nec injuria. Apparebat enim, Venetis quiescentibus, barbarum omnia ferocius ausurum, daturumque enixius operam, ut in ipsa

Ita-

Pax cum  
Turco du-  
rante obsi-  
dione S co-  
drensis tan-  
dem secu-  
ta.